gymnasticam præparationem ad res civiles : aliorum item easuum commonefactionem unam et illustrem esse magistram, quæ generosè fortunæ commutationes perferre doceat.
Haut raro reperias tamen, qui sequiùs de præclaro antiquitatis studio sentiant, aut omnino illud protervè criminẽtur. Contra quos dicturo deesse oratio non posset, si in præsens agere illud constituissem, & nisi tot ac tanti viri, Græci pariter & Latini, historiæ suas accuratissimè dixissent laudes, & exquisita encomia; quorum testimonio cordatis & verè sapientibus nihil est antiquius. Opposuerunt certè divini sese studii contemtoribus osoribusq; magno agmine, idq; ab omni vindicarunt injuria, quotquot ejus augustus decor in admirationem sui rapuit, tùm reipsa, tùm gravissimorum auctorum suffragio in ea sententia confirmatos, vitæ politicæ, & omnium actionum, quæ quidem prudentib9 probari queant, fidissimam esse ducem historiam, imò omnes totius Philosophiæ artes ex hujus Oceano fluviorum ac lacuum instar derivari. Itaq; utilitatem ipsius cum pari conjunctam necessitate, & calamo & voce ubiq; inculcarunt. Nam ut quisq; omni ævo veri & honesti fuit studiosissimus: sic antiquitatis etiam, rerumq; ante se gestarum solertissimus indagator. Nec putandum est, sine supremi Numinis contigisse prudentia, & insigni beneficio, quòd unumquodq; seculum aliquot viros tulit, qui egregia hæc studia suo æstimarunt pretio, illaq; non litterarum tantùm, sed terrarum orbis etiam summo bono præcipuè orta judicarunt. Absq; his enim foret, quæ res non densissimis involutæ tenebris jacerent? quis ipsius mundi, & omnium, quæ intuemur, initia & progressus? quis generis humani primordia, summorum imperiorum constitutiones, Rerumpublicarum ortus, incrementa, res domi forisq; fortiter gestas, fastigia, conversiones, declinationes, & deniq; eversiones? quis illustrium familiarum origines, facta memorabilia, earundemq; sæpe interitus noviſſet? quis